

3. Hinc ne quid in posterum facinorosorum potius, quam innocentium præsidio accideret, cavendum Rom. Pontifici suadebant.

XXIII. Et sanè 1. Judicium in Provincia, ubi controversia exoritur, facilè legitimum futurum, difficilè verò extra provinciam ex eo probant, quod in provincia accusatus, accusator, et testes præsentés sint; ad judicium extra provinciam quam frequenter *testium necessarie personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt.* Id Ecclesiasticam œconomiam, non divinam Apostolicæ Sedis jus attingere censebant.

2. Romano Pontifici modestè exponunt, quam facile fuerit, ut scelesti homines R. Sedis patrocinio abuterentur ad nova admittenda scelera; quod ipsius Apiarum causa manifesto prodebat, qui R. Sedis patrocinio nimis fidens, præteritis nova, eaque atrociora flagitia adgresserat. Id prudentiæ magis, quam doctrinæ negotium arbitrabantur.

3. R. Pontificem comprecantur, non ut jura Sedis Apostolicæ aliqua ex parte imminuantur, aut vel leviter adtententur, sed tantummodo, ut in posterum ipsos in veteri Africanæ Ecclesiæ consuetudine permanere patiantur: *quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Quod quidem pacis potius, quam juris causa ab Apostolica Sede se impetrare posse Africani Præsules existimabant.

4. Ceterùm et inter hæc Primæ Sedis prærogativa resplenduit: namque, ut nuper ostendimus, Athanasius, Marcellus, Eustathius, Chrysostomus, Celidonius, sexcentique alii ab iniquis sive Synodorum, sive Episcoporum Judiciis ad R. Ecclesiam confugerunt, nec confugium illa denegavit unquam, sed causa expensa, quid agendum esset, suo jure decrevit: et quo ordine juxta Canones in ejusmodi causis procedendum esset, suo jure et indicavit, et suggessit, et præscripsit; tum et Acta contra Canones rescidit, tanquam supremus Canonum, et Custos, et Vindex, et Exactor; nimirum Supremum Ordinarium in Judiciis Ecclesiasticis Tribunal R. Ecclesia semper est agnita. At de hujusmodi exemplis satis etiam *Lib. I. Tit. IX.*

(\*\*) XXIV. Verùm diversam planè fuisse Africanorum Patrum in præf. Epistola sententiam, nonnullis videtur. Ac 1. non posse R. Pontificem apud quem testes adesse non possunt, de exterorum causis per semetipsum *ratum* proferre judicium; neque etiam per Legatos a Sanctitatis suæ latere missos, quia *nulla id, ajunt, invenimus Patrum Synodo constitutum.* Tum 2. non posse R. Pontificem quorumlibet Clericorum *refugia* non repellere sine aperta antiqui Africanæ Ecclesiæ juris, et Nicænæ Synodi decretorum infractione; qua (ut ipsi scribunt) constitutum erat, *quæcunque negotia in suis locis, ubi exorta sunt, esse finienda.* Denique 3. non posse R. Pontificem ejusmodi adpellationes suscipere, sine gravi Concilio, quod sententiam protulit, irrogata injuria, eo quod *nec unicuique Provincie gratiam, S. Spiritus defuturam esse didicant; nisi forte (ita subjiciunt) quisquam est qui credat, unicuique posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* (\*)

XXV. Ceterùm ne causæ extra provinciam, ubi testes, actores, et rei, ubi scripta, aliaque id genus indicia haberi possent, agredierentur, videtur Canon Sardicensis sanxisse honorandam memoriam B. Petri, et adseruisse facultatem Episcopis provocandi ab Episcopali sententia ad Sedem Apostolicam: *Quæ si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et detur iudices;* equidem in provincia,

ibique agere causam suam, ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possint, quum statutum sit omnibus nobis, et æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum: ut loquitur Cyprianus *Lib. I. Epist. 5.* Hinc fortè intulit Petrus de Marca *ibid. num. 7. Episcopo Romano judicium integrum remittendum fuisse ad Episcopos Provincie, et ad finitimos, ut illi causæ cognitionem suscipiant, præsentè Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse. Præterea adpellationis ea vis est, ut priore interim sententia supersedendum sit. Quod aliter obtinet in revisione. Nam confugium illud ad Apostolicam Sedem non impediabat, quin interim sententia depositionis executioni mandaretur.*

XXVI. Sardicensem Canonem ad sæculum usque VIII. in adpellationibus ad R. Sedem deferendis servatum videmus: uti constat ex causa Hincemari Laudunensis an. circiter 865. in qua Episcopi provincie Remensis Hadriano II. Papæ, ad quem Hincemarus adpellaverat, sic scribunt: *Si forte, quod non putamus, visum vobis necessarium fuerit, ut secundum Sardicenses Canones renovetis judicium, et delis iudices, scribendo Episcopis, qui in finitimis, et vicinis provinciis sunt, ut et ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant: vel si decreveritis mittere a latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum Episcopis judicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri Sardicenses Canones præcipiunt, non abnuimus:* Labbejus *Conc. Tom. VIII. col. 1656.*

XXVII. Nonnihil inde descitum est, ubi Isidori Decretales receptæ sunt. His enim non modo diversæ jurisdictionis gradus statuuntur Archiepiscoporum, Primatum, et Patriarcharum, ad quos gradatim adpellari posset, et ab his demùm ad R. Pontificem, verùm et jus R. Sedis constituitur, tanquam ex Apostolica Traditione descendens, et Primatui R. Pontificis divinitus adnexum, recipiendi nimirum, etiam omisso medio, adpellationes ab omnibus universi orbis partibus, nullo Sedium intermediarum servato jure: *Can. I. Dist. 80. Can. IV. et XV. Caus. 2. Quæst. VI.* Tum hisdem præne temporibus nova judiciaria methodus ex jure civili in Ecclesiastica Fora inventa, varios illos adpellationis gradus magis magisque videtur firmasse: demùm seculis temporibus res eo usque devenit, ut ab extrajudicialibus etiam, ac provisionalibus Judicium Decretis ad Sedem Apostolicam adpellationes interponerentur.

XXVIII. Quum verò ex indefinita hac, et illimitata adpellandi licentia plura orirentur mala, hinc Synodus Tridentina, ut his saltem ex parte mederetur, plurà salubriter constituit: ac præsertim *Sess. XXIV. Ref. cap. 20. ne adpellationes ab eisdem Ordinariis interposite per Superiores quoscunque recipiantur, earumve commissio, aut inhibiti fiat, nisi a definitiva, vel a definitiva vim habente, et cujus gravamen per adpellationem a definitiva reparari nequit.* Tum *ibid. Cap. 10. et Sess. XIII. Ref. cap. 1.* sanxit, ut Episcopus in causis visitationis, aut correctionis morum adpellationi hujusmodi, tanquam frivola, non deferre teneatur, sed ea, ac quæcunque inhibitione ab adpellationis Judice emanata, nec non omni stylo, et consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva adpellari non possit. Quod de suspensivo duntaxat Adpellationis effectu intelligas, haud verò de devolutivo. Demùm ubi Episcopus canonicæ correctionis, pastoralisque visitationis metas excessisse videatur jus est Superiori et adpellationem recipere, et Decreti Episcopalis executionem suspendere: *Benedictus XIV. Tom. I. Bullar. Const. 48.*

XXIX. Adpellatio vel ab sententia definitiva interponitur; et dicitur *Princi-*



palis, vel ab interlocutoria, et dicitur *Incidens*. Porro inter utramque nonnulla intercedunt discrimina: at potissimum illud est, quod Principalis effectum parit suspensivum, et devolutivum: nimirum suspendit jurisdictionem Judicis à quo, et devolvit causam in Judicem ad quem; ita ut interposita ejusmodi adpellatione nihil amplius adtentari possit à Judice inferiori, alioquin adtentatum à Judice superiore illud in pristinum reducatur: *Cap. 55. hoc Tit. Cap. 4. et 7. eod. in VI. Leg. III. Cod. eod. et in Dig. Leg. un. Nihil innovari adpellat. interpos.* Secus verò se res habet in Incidente, quæ plerumque jurisdictionem judicis inferioris non suspendit, nisi aut hic interpositæ adpellationi detulerit, eam recipiendo, aut Superior Judex litteras emisit inhibitoriales, aut demùm interlocutoria sententia damnatum contineat irreparabile: *Cap. 10. hoc Tit. (\*\*)* et *Leg. XIII. Tit. XXIII. Partit. III. Leg. III. Tit. XVIII. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)* Adhæc Judex inferior non vetatur suam interlocutoriam sententiam, etiam post interpositam adpellationem, revocare: secus verò definitivam *Leg. XIV. Dig. de Re judicata*. Denique adpellatio incidens, ut in scriptis fiat omninò necessum est, et quidem exposita causa gravaminis: *Cap. 59. hoc Tit. Cap. 1. eod. in VI.* quum tamen Adpellatio principalis, si in continenti fiat, simplici verbo *Adpello* fieri possit: *Leg. II. Dig. de Adpellationibus, (\*\*)* et *Leg. XXII. Tit. XXIII. Partit. III.* Verùm moribus jamdiu in utroque Hispaniarum foro inductum est, ut non nisi in scriptis proposita, admittatur adpellatio. (\*)

## ARTICULUS I.

## DE TEMPORIBUS ADPELLATIONUM.

XXX. Ex Constitutione Justiniani *Novell. XXIII. cap. 1.* intra decem dierum spatium adpellandi datur facultas; quod Jus etiam Canonicum recepit: *Cap. 8. hoc Tit. in VI. (\*\*)* Idem quoque decem dierum spatium adpellationi præfixerat Alphonsus *Sap. laud. Leg. XXII.* verùm recenti Hispaniarum jure ad quinque tantum dierum restrictum est in Foro laicali, sive à definitiva, sive ab interlocutoria sententia: *Leg. I. Tit. XVIII. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)* Porro, uti modò observavimus, quum, ubi sententia lata est, statim adpellatur, satis erit sine scripto, sed voce, judice adhuc pro tribunali sedente, adpellare. Quod si non fuerit statim adpellatum, tunc adpellatio per libellum omninò est interponenda, qui complectatur à quo adpellatur, adversus quem, et ad quem: *Leg. I. §. 4. et III. Dig. eodem, (\*\*)* et *præf. Leg. XXII. Partit. III. (\*)* Hujusmodi decem dierum adpellationi inchoandæ præscriptum spatium dicitur *Tempus fatale adpellationis inchoandæ*. Sequitur *Tempus fatale adpellationis interponendæ*.

XXXI. Adpellatione interposita intra triginta dierum spatium adpellans Apostolos petat: *Cap. 6. eod. in VI. (\*\*)* qui quidem triginta dies ab ipso interpositæ adpellationis, non à prolata sententiæ tempore computandos voluit Sanctius Ajerbe in *Collect. Tarracon. Lib. II. Tit. VII. cap. 1. (\*)* Apostoli, ita dicti à Græca voce *mitto*, libelli sunt dimissorii, sive litteræ, quæ à Judice inferiore, à quo adpellatum est, ad Superiorem, qui de adpellatione cogniturus est, dantur testandæ adpellationis causa: qui scriptum habeant, à quo dati sint: tum quis adpellaverit, adversus quem, et à qua sententia. Verùm in utroque foro ejusmodi Apostoli, jamdiu exoleverunt: Gudelinus *Lib. IV. cap. 14. (\*\*)* In neutro tamen Hispaniarum foro admittitur adpellatio, neque litteræ expediuntur, quarum vi inferioris judicis Acta transmitti jubentur, quin libellum authenticum exhibeat ad-

pellans, in quo litis, et sententiæ latæ natura patefiat: *Leg. II. et X. Tit. XVIII. Lib. IV. Nov. Recop.* in quòd in Apostolici Nuntii Tribunali præsertim observari voluit *Sanct. VI. Cap. 3. Tit. VIII. Lib. I. vulgo Autos Acordados. (\*)* Igitur adpellatio instituitur coram Judice Superiore, exhibito libello ipsius adpellantis, quo Judicis inferioris sententia se gravatum dicat, simulque litteras postulet inhibitoriales, quibus Judex inferior jubeatur in causâ amplius non procedere, acta transmittere, et omnia innovata ad pristinum reducere: quibus si dicto audiens non sit Judex inferior, ad ipsius adpellantis postulationem litteræ expediuntur *Compulsoriales* dictæ, quibus ipse Judicis Superioris mandata exsequi compellitur.

XXXII. Ultimum denique fatale tempus est *Adpellationis prosequendæ*; nimirum adpellandi integer conceditur annus ad suam coram Judice Superiore adpellationem prosequendam; tum ex necessaria, et evidenti causa biennium: quod æque Canonico, ac Civili jure obtinet: *Auth. Ei qui, Cod. de Tempor. et reparat. adpellat. Cap. 5. hoc Tit. (\*\*)* Jus Hispanum quod spectat, præfixum adpellationis prosequendæ tempus ad annum restringit *Leg. XI. Tit. XVIII. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)* Verùm aliquando tempus illud legitima ex causa restringitur: *indicato Cap. 5.* Demùm tempus ad finiendam adpellationem statuere vetatur Judex à quo, sed reservatum est Judici ad quem: *Cap. 50. eodem.* Porro, uti Apostolos, ita et hæc fatalia in desuetudinem abiisse observat Gudelinus *ibid.* Igitur singulæ Curiæ certas habent introducendæ, et prosequendæ adpellationis constitutas regulas, quas si adpellans negligat, deserta censetur adpellatio. Videtur Gagliardum *Instit. Can. Lib. III. Tit. XVII. (\*\*)* In utroque tamen Hispaniarum Foro sicuti Apostoli seu prolata sententiæ testimonium, ita et hi fatales dies adhuc obtinent, adeo ut si tempus adpellationis prosequendæ fortassis fuerit elapsum adpellanti, prolata sententiæ stare tenebitur, nisi justum accessisse impedimentum probaverit: ex præf. *Leg. II. et XI. Nov. Recop. (\*)*

## ARTICULUS II.

## DE GRADIBUS ADPELLATIONUM.

XXXIII. Adpellationes gradatim interponendæ; nimirum à Judice inferiore ad eum, qui proximo in gradu est superior; ut puta ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitanò ad Primatem, ubi Primas hæc prærogativa perfruatur, à primate ad Tribunalia Urbis, in quibus etiam gradatim adpellandum, ac demum ad Papam. Verùm à sententiæ Delegati non nisi ad Delegantem legitimè adpellatur. Ceterum ubi tres sententiæ conformes habeantur, adpellationi locus amplius non erit, tum Jure Civili: *Leg. un. Cod. Ne liceat in una eademque causa tertio provocare;* tum Jure Canonico: *Cap. 39. et 65. hoc Tit. et Clemen. I. de Sent. et Re judicata: (\*\*)* tum etiam Jure Hispano: *Leg. XXV. Tit. XXIII. Partit. III. Leg. V. Tit. XVII. et Leg. II. Tit. XIX. Lib. IV. Nov. Recop. (\*) (1)*

XXXIV. Quæret hic fortassè quispiam, inum liceat omissio medio ad judicem Supremum adpellare? porro hoc in capite non convenit jus Canonicum cum Civili. Jure enim Civili non licere patet ex *Leg. XXI. Dig. hoc Tit.* quamvis ejusmodi interposita Adpellatio inutilis prorsus non erit, quum ad proximum Superiorem remittenda *ibid.* decernatur. (\*\*)

(1) Vide notam VII in hunc tractatum.



*Leg. XVIII. Tit. XXIII. Partit. III. (\*)* At jure Canonico licet omissis mediis immediate ad Summum Pontificem appellare: *Cap. 7. et 54. hoc Tit. Cap. fin. de Foro Competenti.* Quod de jure Canonico novissimo intelligas: aliud enim obtinebat jure Canonico antiquo, uti nuper explicavimus. (\*\*). In Hispania verò non probatur similis appellatio juxta decreta Trident. *Sess. XXII. Ref. cap. 7.* et Innocent. XI. in Bulla Apostolici Ministerii, quorum observantiam Episcopis injunxit Supr. Castell. Senat. suis litteris Encyclic. die 26. Novemb. an. 1767. iteratis an. 1778. (\*)

## ARTICULUS III.

QUIBUSNAM, ET QUIBUS IN CAUSIS JUS ADPELLANDI DENEGETUR.

XXXV. Ac I. Adpellatio non recipitur, quum vel generalis sit, qua scilicet quis provocet ab omni causa, quæ contra ipsum moveri possit: *Cap. 2. et 18. hoc Tit. vel incerta, quæ scilicet quis absolute dicat Adpello, nec explicet, num e. g. ad Metropolitanum, an vero omissio medio ad Papam adpellet. (\*\*)* Aliis verò placeat, non requiri, signanter nomen Judicis ad quem exprimere, sed sat esse, quod adpellans dicat: *Adpello ad Superiorem.* Quamobrem stylus utriusque Fori apud Hispanos hanc clausulam in libello adpellationis invexit: *Adpello ad N. vel ad quem jure possum, et debeo:* quod probabit Alphonsus Sap. *Leg. XXII. Tit. XXIII. Partit. III. (\*)* Neque 2. auditur, qui pro alio adpellat, nisi forte id præstet pro reo, qui ultime supplicio adficiendus sit: hoc enim casu licet cuicui etiam Clerico, ac Monacho adpellationem interponere: *Leg. VI. Dig. hoc Tit. et Leg. VI. Cod. de Episc. cudentia. (\*\*)* Id etiam juris obtinebat quondam in Hispania *Leg. VI. ejusd. Tit. et Partit.* Sed hodie sic adpellans, certe non audiretur. (\*)

Adpellare 3. vetantur, qui ob contumacem absentiam damnati sunt: *Leg. I. Cod. Quorum adpellat. Leg. XIII. §. 4. Cod. de Judiciis, et Leg. XXIII. §. 3. Dig. hoc Tit. (\*\*)* et *Leg. IX. Tit. XXIII. Partit. III. (\*)*

Idem 4. de Notoriis constituas, in quibus plerumque ad pænæ illationem differendam adpellatur: *Cap. 5. §. 2. et Cap. 13. hoc Tit.*

Rejicitur 5. Adpellatio Regularium, quos Abbas correxerit, levibusque legitimis pænis multaverit: *Cap. 3. hoc Tit. (\*\*)* Qua de re Carolus II. *Sancr. IV. cap. 35. Tit. I. Lib. IV. vulgo Autos Acordados,* in Apostolici Nuntii Tribunali adpellationes Regularium ab iis, quæ ad disciplinam intra claustra Superiores precipiant, non esse admittendas, decrevit. (\*)

Tum 6. Officialium, quos ob male gestum suum munus proprius Judex damnaverit: *Leg. III. Cod. Quorum adpellationes.*

(\*\*) Neque 7. atrociorum criminum reis, conceditur adpellatio, veluti latronibus publicis, monetariis, virginum, et viduarum raptoribus: *Leg. XVI. eod. Tit. et Partit. (\*)*

Postremo à sententia Principis adpellari nequit, quippè qui Superiorem, ad quem provocetur, non agnoscat: *Leg. I. §. 1. Dig. a quibus adpellare non licet. (\*\*)* et eadem adducta ratione Alphonsus noster in *Leg. XVII. ejusd. (\*)* Unde jure ordinario à sententiis Summorum Pontificum, aut Supremorum Tribunalium denegatur Adpellatio, sed dumtaxat ad eosdem conceditur reclamatio, (\*\*). seu communi nostro loquendi more *Supplicatio: tot. Tit. XIX. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)*

XXXVI. Illud deniquè hic non abs re observandum, à sententia ipso jure

nulla necessum non esse adpellationem interponi, sed satis esse ad impediendam ejusmodi sententiæ executionem promptam nullitatis probationem: *Leg. I. et passim Cod. Quando provoc. non est necesse, (\*\*)* et *Leg. IV. Tit. XXVII. Partit. III.* Hispaniarum Jure sexaginta dies à prolata sententia ad exponendam nullitatis exceptionem dumtaxat conceduntur: *Leg. II. Tit. XVII. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)*

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## DE DELICTIS ECCLSIATICIS GENERATIM.

I. Gravissima inter viros doctos jamdiu agitata quæstio, nec adhuc definita ea est; nimirum quænam antiquitatis ecclesiastica crimina fuerint, eo scilicet intuitu, quo censuris aliisve Ecclesiasticis pænis puniri consueverint. Alii quidem existimant, ejusmodi crimina non nisi tria fuisse, nimirum Idolatriam, Homicidium, et Mæchiam; atque his, aliisque precipuis, quæ ad hæc tria reduci possunt, veterem omnem de censuris, publicatæ pœnitentiæ disciplinam adstringunt: *Nat. Alex. Hist. Eccles. III. Sac. Diss. VI. q. 1.* eo præsertim innixi fundamento, quod veteres Patres, et Episcopi tum in Synodis sancitis Canonibus, tum in suis operibus crimina Judiciariæ Ecclesiæ potestati subjecta recensentes, non nisi horum meminisse videantur.

II. At contra alii antiquam Ecclesiæ disciplinam hoc in capite ad omnia grandia crimina extendunt, quæ contra universum Decalogum, sive Divinam moralem legem committuntur; quam sententiam tum pluribus argumentis firmatam contendunt, tum vel maximè Augustini auctoritate *Hom. ult. ex L. cap. 3.* ubi tum eorum rejicit opinionem, qui censebant tria tantummodo crimina mortifera esse excommunicatione punienda, donec pœnitentiæ humiliore sanentur, impuditiæ, idololatriam, homicidium; tum paucis interjectis hæc habet: *Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogum continet: et de quibus Apostolus ait: Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* In nostris Christianis Antiquitatibus fusius hac de re agemus, nostramque dabimus sententiam, qua distinguentes inter sollemnem, sive canonicam, et publicam pœnitentiam, quænam utriusque obnoxia fuerint crimina, separatim explicabimus.

III. Hic tantummodum animadvertere juvat, quod alibi jam indicavimus, scilicet ad sæculum usque XII. nullam in Ecclesiâ distinctionem agnitam fori interni ab externo: unde per ea tempora tametsi Episcopi in omnia sive publica, sive occulta, non Clericorum modo, verùm et Laicorum crimina inquirerent, atque in delinquentes veluti processus conficerent, testes audiendo, sententiam pronunciando ac legitimam pœnam imponendo; hæc tamen omnia non peragebant, nisi respectu habito ad forum spirituale, sive Sacramentum Pœnitentiæ, uti late ostendit Morinus de Administr. Sacr. Pœnitentiæ *Lib. I. cap. 9. et 10.*

IV. Et sane 1. omnes Ecclesiasticæ pænæ per ea tempora non ad vindictam imponebantur, sed unice ad ipsius peccatoris cum Deo reconciliationem. 2. Non aliud erat tribunal, in quo censura ligatus exolvebatur, et pœnitens à peccato absolvebatur, sed unus, idemque Episcopus, vel Presbyter utrumque simul præstabat. Et licet 3. circa sæculum VII. disciplina invaluerit, ut publica crimina Episcopis, eorumve specialibus Delegatis reservata essent, occulta verò quibuslibet Presbyteris: unde veluti forum externum ab interno distinctum inductum tunc temporis videretur; adhuc tamen omnia ad Sacramenti Pœnitentiæ administratio-